

THEOD. Maxime: & quidem ratione non obscura, & experientia edoctus manifesta.

De salib.
simpliciu.

PALLADIUS. Fortasse in Solaribus simplicium Ignis ille Solaris maxime insidet? quæ summis à quibusdam efferuntur laudibus.

THEODORUS. Salibus Chymicis suum quidem locum relinquo; cum etiam ipsis multum occultæ huius Formæ, Solaris insit. Sed illorum usus aliquoties iteratus, non est admodum gratus: & ab iis plerumq; abhorret stomachus. En paucis versiculis, Palladi, rem omnem accipe:

Hort.

Med. par.

l. c. 7.

Haud vim visificam rerum in se continet illam

Sal solum: ast proprio cum Sale Terra suo.

Non satis est medico, Spagyrum exantlasse labores!

Dum tria secernit: Sal grave, Sulphur, aquas.

Fas tentare novum terrena in mole laborem:

Gaudet & ipsa suis terra relicta bonis.

Vsque adeo in partes totius corporis alte

Vis solis fusa est, visificusq; vigor.

Tolle quod adversum fuerit: tum corpora rerum

Solve: ut per corpus distribuisse queas.

Sic incundabatis præbes feliciter agris:

Sic præbes agris pharmaca tuta satis.

PALLADIUS. Palladius ego sum, non Oedipus. Quisnam hæc, Sphingis ænigmate, ac Sybillæ foliis obscuriora, absque interprete, adsequi queat? Curista, Theodore, verbis tam obscuris?

APOLLONIUS.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo erue lucem:

Hoc decet ingenuos: summus hic artis honos.

Observa-
tiones, &
Theorema-
ta, de præ-
paratione
medicame-
torum so-
larium.

THEOD. Vt dicta rectius intelligas, Palladi; aliquot tibi de præparatione, & separatione medicamentorum Solarium observationes, & theoremata proponam.

I.

Aliæ substantiæ medicæ, natura sua sunt partium tenuium: aliæ crassiorum sunt partium.

II.

In iis, quæ tenuium sunt partium: Materiæ in super habent parum, Formæ autem plurimum: quæque totius substantiæ proprietate, Forma specifica, & sympathetica certis membris subveniunt: facilis fuerit solutio & ferme vulgaris: illa vero attenuatio Spagyrorum subtilissima plane supervacua, imo sæpe nociva est,

III. Ex